



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Sect. VI. De irregularitate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

in civitate aliquâ vel loco particulari, ut templo aliquo divina officia celebrent, vel Sacramenta administrent, ut hac ratione, qui injuriam infert, desistere, & Ecclesiam satisfacere cogatur.

Quis possit hoc status-
re.

Hanc pœnam imponere ii omnes & soli possunt, qui possunt ferre interdictum, Papa nimirum, Episcopus, & Capitulum sede vacante, & quisquis Episcopalem habet auctoritatem.

In quo differat ab interdictione.

Ab interdicto differt, quod in illo clericus violans interdictum per exercitium ordinis sacri fiat irregularis, non qui in cessatione à divinis. Deinde in interdicto qui causam dedit semper specialiter interdicitur, hic autem non ita contingit. Tertio non permittitur clericis ut quotidie cum moderatione capitis *Alma Mater* concessâ à Bonifacio VIII. Clerici Missas & officia privatim celebrent, sicut nec in aliis illis solemnitatibus, quod licitum est in interdicto: ita Suarez d. 39. c. 3. Layman l. 1. t. 5. p. 4. c. 6. Filiucius t. 18. c. 7. Bonacina d. 6. p. 1. Coninck d. 17. d. 7. & alii.

Quanam tunc permittantur.

Sacramenta illa & sola hic permittuntur quæ in Interdicto: unde ad renovandam sacrosanctam Eucharistiam licitum est semel in hebdomadâ celebrare ad eam in usum morientium servandam. Hæc autem ex benignâ interpretatione Doctorum, nam jura aliud tunc non permittunt, quàm Baptismum & Pœnitentiam morientibus. Imo negant aliqui posse tunc duos aut tres clericos horas submissâ voce in Ecclesiâ recitare.

De sepulchro.

Quoad sepulturam in loco sacro non satis constat ex jure id vel clericis vel laicis eam tunc esse prohibitam, si sine divinis officiis fiat. Ufu tamen receptum est, ut eo tempore soli clerici in loco sacro, idque sine solemnitate sepeliantur.

Pœna violationibus statutis.

Violans cessationem graviter peccat, non tamen fit irregularis, cum hæc pœna non sit in jure imposta. Religiosi tamen non servantis cessationem quæ servatur in Ecclesiâ Cathedrali, incurrunt excommunicationem. Is verò qui causa est cur lata sit cessatio, tenetur ad omnia damna Clericis reparanda, qui eo tempore coacti sunt distributiones perdere, vel illius occasione alia detrimenta sunt passi: ita Suarez d. 39. c. 3. n. 16. Filiucius c. 7. n. 182. Bonacina p. 3. n. 12. Coninck d. 17. d. 7. n. 91. & alii.

SECTIO SEXTA.

De Irregularitate.

I.

Irregularitas est duplex.

Quæres primò: Quid sit, & quomodo incurratur Irregularitas, & à quo ferri possit? Irregularitas alia est ex defectu, alia ex delicto: est verò impedimentum canonicum per se primò impediens susceptionem sacrorum ordinum, & eorum exercitium. Hinc sequitur infidelem & sceminam irregulares non esse, cum ordinum sint incapaces ex ipsius Christi institutione: irregularitas autem non incurritur nisi in casibus in jure expressis. Ordines tamen irregulari collati validè conferuntur, imò & prima tonsura; hæc enim licet irritari ab Ecclesiâ possit, cum ab eâ instituta sit, nusquam tamen de facto reperitur irritata.

Impedit collationem beneficij.

Irregularitas secundariò impedit quo minus quis de novo admittatur ad beneficium Ecclesiasticum, vel ita ut collatio ei facta sit invalida, ut vult Navarrus, Henriquez, Lessius l. 2. c. 34. n. 122. Bonacina d. 7. p. 4. n. 6. Suarez d. 40.

f. 2. n. 35. & alii, vel saltem ut sit irritanda secundum omnes, unde graviter peccat & acceptans & conferens, nisi sit Summus Pontifex qui confert; censetur enim dispensare & tollere irregularitatem.

Irregularitas quæ impedit ordinis alicujus susceptionem, non impedit omnis ordinis usum; sic enim si Diacono sine ejus culpâ abscindatur pollex, promoveri ad Sacerdotium non debet, officium tamen Diaconi canendo Evangelium exercere potest. Sic si digitus similiter abscinderetur Sacerdoti, non esset irregularis quoad excipiendas confessiones, unde ad canonicatum diaconalem, & beneficium quod onus tantum audiendi confessiones haberet, posset promoveri; hæc enim irregularitas non esset totalis, sed partialis, & licet Valentia t. 4. d. 3. q. 19. p. 2. Sayrus, Navarrus, & alii limitent, modò culpâ propriâ irregularitatem illam non contraxerit, contrarium tamen puto probabilius cum Suarez d. 40. l. 2. n. 38. Bonacina p. 4. n. 3. & aliis, cum jura eodem modo loquantur in utroque casu.

Non impedit omnis ordinis usum.

Probabilius est etiam irregularitatem impedire susceptionem primæ tonsuræ, quicquid aliqui dicant; licet enim non sit ordo, id est Sacramentum, censetur tamen in jure ordo ad hunc effectum, cum constituat in ordine clericali: ita Suarez d. 40. f. 1. Filiucius t. 19. c. 1. n. 2. & c. 3. 59. & 60. Coninck d. 18. d. 1. n. 1. & 8. Layman lib. 1. t. 5. p. 5. c. 1. Bonacina d. 7. p. 1. n. 1. & 4.

Impedit primam tonsuram.

Nulla de facto irregularitas fertur ab homine (in quo inter alia differt à censuris) nec ulla est quæ non sit in jure canonico expressa, per jus intelligendo, non solum corpus juris, sed etiam bullas pontificias. Nullus ergo Episcopus, nec quisquam Summo Pontifice inferior potest irregularitatem ferre, cum penes solum Romanum Pontificem sit condere jus canonicum. Tandem Irregularitas opus externum completum requirit, & peccatum mortale quando contrahitur ex delicto.

Quis eam ferre possit.

Quæres secundò: Utrum ignorantia excuset ab irregularitate, & num in dubio censendus quis sit irregularis? Ignorantia sicut excusat à culpâ, ita & ab irregularitate quæ est pœna: ita Doctores communiter, quod Coninck d. 18. d. 4. n. 31. & Bonacina p. 3. n. 4. probabilius putant non solum de ignorantia juris vel facti, sed etiam pœnæ.

II. Ignorantia excusat.

In dubio verò, si sit dubium juris, ut si quis dubitet num pro tali re sit lata irregularitas, & adhibita debita diligentia adhuc persistit in dubio, potest dubium deponere, & non se gerere tanquam irregularem, cum non censeatur incurrere irregularitatem nisi ubi est jus expressum seu clarum: ita Suarez d. 40. l. 5. n. 5. & 6. Filiucius t. 19. c. 2. n. 45. Tol. l. 1. c. 57. Coninck d. 18. d. 2. n. 21. Bonacina p. 5. n. 2. & alii. Quod Suarez n. 6. extendit quando sunt duæ opiniones probabiles, licet minus probabilis sit illa, quæ negat contrahi irregularitatem. Unde existimo cum Sanchez l. 1. sum. c. 1. n. 46. Bonacina n. 5. & aliis, eum qui in dubio de irregularitate ordines suscepit, nullâ scilicet adhibita in inquirendum diligentia, posse, si post adhibitam diligentiam dubium persistat, ordines exercere.

Quid si quis dubitet de irregularitate.

Idem est de dubio facti, excepto dubio commisi homicidii, quo in casu vult jus canonicum significasti, & c. ad Audientiam, eum haberi irregularem quoad cessationem à sacro ministerio.

De dubio commisi homicidii.

ita

ita Auctores citati, licet aliqui sine fundamento trahere hoc velint ad omne dubium facti. Unde & qui alteri dedit consilium aliquem occidendi, si dubitet utrum homicidium ex hoc ejus consilio sit secutum, censendus est irregularis.

III.

Eam causat notabilis deformitas corporis.

Quares tertio: Quomodo contrahatur Irregularitas ex defectibus corporis, vel animæ? Irregularitas ex defectu corporis inprimis tunc contrahitur quando talis est, ut vel usum ordinis impediatur, vel notabilem pariat deformitatem vel horrorem, qualis est nasi vel labiorum amputatio, manus, pollicis, aut indicis abscissio, vel membri alicujus apparentis carentia cum deformitate, ut pedis, vel oculi privatio, aut etiam macula notabilis in oculo, & uno verbo quicquid reddit hominem notabiliter deformem, ita ut aspicientibus risum moveat vel horrorem. Irregulares etiam sunt cæci & surdi, licet oculos & aures habeant. Imo irregularis est, qui oculi sinistri seu canonici usu caret, nisi, inquit Navarrus, & Layman, tanta sit oculi dextri firmitas, simul cum libri accommodatione, ut sine deformi facie ad populum conversione possit canonem legere.

Quid si membrum aliquod amputetur.

Non ergo est irregularis qui dextri solius oculi usu caret, nec cui aures amputatæ sunt, si deformitatem illam capillis commodè regere possit, sicut nec qui caret membro quod non apparet. Nec etiam claudus, nisi magna sit deformitas, aut in altari baculo aut pede ligneo uti debeat. Nec etiam qui sex digitos habet, aut uno ex minoribus caret sine notabili deformitate: ita Suarez d. 50. & 51. Coninck d. 18. d. 13. n. 106. Filiucius t. 19. c. 6. Tol. l. 1. c. 57. Bonac. d. 7. q. 2. p. 2. & alii.

Quid si amputet sibi.

Notant verò omnes, si quis vel sibi sine iustâ causâ abscindat, vel ab alio abscindi patiatur membrum aliquod vel partem membri, etiam occulti, imò quod ad usum ordinis non conducatur, nec inde deformitas oriatur, adhuc esse irregularem. Idem est si invito hujusmodi aliquod membrum amputetur, si tamen ipso in culpâ sit & causam dederit, secus si sine ejus culpâ contigerit.

In dubio de deformitate.

In dubio, utrum defectus vel deformitas tanta sit, ut irregularitatem inducat, permittendum est arbitrio ordinarii seu illius, qui dimissorias dare potest ad ordines suscipiendos: Episcopo tamen qui ordines confert semper integrum est hoc ejus arbitrium admittere vel respuere.

Qua scientia requiritur ad ordinem.

Quoad defectus animæ primus est ignorantia, quæ melius intelligitur ex iis, quæ Conc. Trid. sel. 22. c. 2. & sel. 23. c. 4. 11. 13. & 14. ad singulos ordines requirit. Ad primam ergo tonsuram requirit ut legere quis possit & scribere, & prima norit Fidei rudimenta. Ad minores, ut linguam latinam calleat. Ad diaconatum & subdiaconatum, ut sciat quid ad hæc officia spectet. Ad sacerdotium, ut populum Christianam doctrinam docere possit, & norit modum administrandi Sacramenta. Tandem ad Episcopatum, ut sit doctor vel licentiatus in Theologia aut jure canonico, vel saltem publico testimonio constet aptum eum esse ad docendum.

Neophyti sunt irregulares.

Irregulares etiam sunt neophyti, hoc est qui ex lege Judaicâ, Mahumetanâ, aut Ethnicâ recentem conversi sunt in adultâ ætate, ne scilicet in superbiam elati in laqueum incidant diaboli. Quamdiu autem duret hæc irregularitas relinquatur iudicio Episcopi; in aliis enim citius cessat,

in aliis ferius, prout quisque in fide, & aliis religionis Christianæ virtutibus melius fuerit fundatus.

Quares quarto: Quomodo Irregularitas proveniat ex defectu natalium, ætatis, aut libertatis? Illegitimus omnis, etiam occultus, quamdiu manet illegitimus, est irregularis, unde peccat mortaliter & recipiendo ordines, & in iis jam receptis ministrando: ita Suarez d. 50. f. 3. Filiucius t. 19. c. 5. n. 138. Coninck d. 18. d. 2. Tol. l. 1. c. 53. Bonacina d. 7. q. 2. p. 3. n. 2. Lay. l. 1. t. 5. p. 5. c. 5. & alii. Idem existimo cum Auctoribus citatis præter Coninck, de expositis, nempe præsumendos esse illegitimos & irregulares, cum vix unquam exponantur filii legitimi. Imò aliquando filii ex matrimonio legitimo orti sunt irregulares, ut quando nati sunt ex conjugato qui ordines sacros post matrimonium suscepit, vel ex parentibus, quorum uterque vel alter post matrimonium emisit professionem in religione: ita Suarez l. 2. n. 5. & l. 3. n. 4. Lay. n. 3. Bonacina n. 11. & alii. Hi ergo filii sunt canonicè irregulares, licet non civiliter, seu in ordine ad hæreditatem & dignitates sæculares.

IV.

Irregularis est omnis illegitimus.

Defectus ætatis ad ordines requisitæ inducit irregularitatem, quæ tamen adveniente termino ætatis cessat, sicut & ante per dispensationem Pontificis. Qui scienter ante justam ætatem ordines recipit incurrit suspensionem: quisquis verò ordines sine scienter, sive bonâ fide ante justam ætatem susceptos scienter ante eam expletam exercet, redditur novo titulo irregularis: ita Suarez d. 51. f. 2. Tol. c. 52. Filiucius. t. 19. c. 6. n. 175. Bonacina p. 4. & alii.

Defectus ætatis reddit irregularem.

Defectu libertatis irregulares sunt inprimis conjugati, nisi de licentiâ uxoris, & aliis servatis, de quibus dum de matrimonio. Deinde mancipia durante illo statu, si verò mancipium de consensu domini ordinetur, acquirit ipso facto libertatem, si sine ejus consensu minores recipiat, manet servus, si majores, fit liber solvendo pretium, vel alium servum ei tradendo, sin minus redigitur in servitutem: manet irregularis, & clericali privilegio caret si Diaconus tantum sit aut Subdiaconus, & si dominus intra annum postquam novit esse ordinatum eum repetat, sicque inservire ei adhuc debet in rebus statum ejus non dedecentibus. Si factus sit Sacerdos manet liber, sed satisfacere tenetur eo modo quo potest. Episcopus verò scienter talem ordinans tenetur domino refundere duplex pretium vel duos servos: si bonâ fide processerit, ad idem tenentur illi qui eum scienter Episcopo præsentarunt.

Quinam sint irregulares defectu libertatis.

Præterea qui ratione feudi tenentur personaliter servire, qui servi originarii vocantur: sicut etiam qui obligantur ad ratiocinia, seu ad administrationem alicujus publicæ vel privatorum rationem reddendam tenentur, quales sunt thesaurarii, Advocati, Magistratus, Judices, & hi donec rationem reddiderint ordinari nequeunt. Ab hac irregularitate excipiuntur qui administrationem habent personæ Ecclesiasticæ, vel personarum miserabilium, ut viduarum, pupillarum, causarum piarum, &c.

Alii nonnulli qui ordinari nequeunt.

Quares quinto: Quomodo Irregularitas contrahatur ex defectu Sacramenti seu bigamiâ, aut ex infamiâ? Bigamiâ triplex est, vera, interpretativa, & similitudinaria. Vera est quando quis verè duas vel plures uxores ducit, & cum utraque copulam habuit, idque sive ante sive post Baptis-

V.

Bigamiâ triplex:

Vera,

num, sive etiam unam ante, aliam post Baptismum, & hæc bigamia secundum omnes irregularitatem inducit. Matrimonium verò ratum, etiam cum quacunq; nunquam inducit irregularitatem nec bigamiam.

Interpretativa.

Interpretativa tunc contingit cum quis vivente primâ uxore aliam ducit, vel primâ mortuâ aliam ducit invalidè ob impedimentum ignoratum, & copulam habet animo maritali, imò & qui hac ratione duo matrimonia invalidè contraxit, vel cum corruptâ validè aut invalidè: sicut etiam si ducens virginem, cum eâ copulam habet postquam ab alio viro sive sponte, sive per vim vel metum fuit cognita. Et hæc etiam bigamia irregularitatem inducit: ita Suarez d. 49. f. 1. & 2. Filiuc. t. 19. c. 4. n. 95. Sanchez l. 7. de Matrim. d. 83. & 84. Tol. l. 1. c. 70. Bonacina d. 7. q. 2. p. 5. n. 2. Coninck d. 18. d. 11. & alii. Idem est si quis contrahat cum viduâ, quamvis Navarrus, Layman, & Bonacina hoc negent de Matrimonio invalido cum viduâ, quod etiam Layman affirmat de corruptâ.

Virum inducat irregularitatem.

Bigamia similitudinaria.

Bigamia similitudinaria est cum quis post votum solemne castitatis in religione contraxit & consummavit, etiam cum virgine, & is fit irregularis. Idem asserit Bonacina, & alii nonnulli de clerico in sacris: Suarez tamen, Filiuc. & alii tenent contrarium tanquam probabile, si contrahat cum virgine.

Infamia juris inducit irregularitatem.

Quoad secundum, Infamia juris inducit irregularitatem: ita Suarez d. 42. f. 1. & 2. Coninck d. 18. d. 7. n. 56. Tol. l. 1. c. 57. Filiucius t. 19. c. 8. Bonacina d. 7. q. 3. p. 1. n. 4. Layman l. 1. t. 5. p. 5. c. 4. & alii. Infamia autem juris seu legalis ex illo delicto provenit, cui à jure canonico vel civili (censetur enim infamia canonica si non revocetur per jus canonicum) imposta est gravis pena, ut est apostasia à fide, sodomia, matrimonium cum duabus simul, &c. & hæc quamvis occulta, inducunt irregularitatem, ut notat Suarez d. 48. f. 1. n. 15. & Filiucius n. 218. Secundò oritur infamia ex sententiâ declaratoriâ judicis, gravis alicujus criminis, ut furti. Tertio ex propriâ delinquentis confessione in judicio factâ.

Idem facit infamia facti.

Infamia etiam facti inducit irregularitatem, quæ tunc contingit, quando quis ob crimen aliquod publicum infamis censetur apud graves & honestos viros: ita Suarez f. 1. Layman num. 4. Filiucius n. 216. & alii. Hæc tamen irregularitas tollitur per emendationem personæ, sicque cessat. Infamia autem solum impedit ordinum susceptionem, non verò eorum exercitium, nisi sit homicidium, aut quid simile, quod specialem irregularitatem inducit.

VI.

Irregularitas incompleta.

Quares sextò: Utrum reiteratio aliquorum Sacramentorum, aut susceptio & usus ordinum inducat irregularitatem? Qui culpabiliter rebaptizatur absolute, vel rebaptizatur, sicut & ministrans incurrit irregularitatem incompletam, ita ut ordines suscipere non possit: ita Suarez d. 42. f. 1. & t. 3. in 3. p. d. 31. f. 6. Filiucius t. 20. c. 6. n. 164. Layman l. 1. t. 5. p. 5. c. 2. Henriquez l. 14. c. 4. n. 3. Coninck d. 18. d. 5. Bonac. d. 7. q. 3. p. 3. & alii.

Quinam ab hac excusentur.

Infans ergo, amens, & planè per vim rebaptizatus non incurrit irregularitatem, sicut nec incurrit is qui cum ignorantia vel juris seu præcepti Ecclesiæ, vel facti rebaptizatur, vel rebaptizatur. Cum enim hæc irregularitas proveniat ex delicto, quicquid excusat à mortali excusat similiter ab illâ.

Navarrus & pauci alii idem asserunt de iteratione Confirmationis & Ordinis. Negant tamen eommunitè Auctores per hanc contrahi, cum hæc irregularitas non sit in jure expressa: ita Sua. f. 2. n. 2. & f. 3. n. 6. Bonacina n. 8. Layman n. 6. & alii.

Iteratio Confirmationis.

Irregularis verò est, qui usque ad senectutem vel gravem ægritudinem differt susceptionem baptismi, sicut & adultus qui scienter à hæretico baptismum sine necessitate suscipit.

Alia irregularitas.

Utrum excommunicatus excommunicatione majore, suspensus, vel interdictus incurrat irregularitatem suscipiendo ordines sacros, dubitant Auctores ex æquo ferme divisi. Conveniunt tamen incurere, si sine necessitate exerceant solemner, & ex officio ordines majores. Non incurunt ergo exercendo minores, nec Subdiaconus Epistolam canendo sine manipulo, aut Diaconus sine stolâ Evangelium; tunc enim solum hæc faciunt instar cantorum, nec hebdomadarius canens sine Dominus vobiscum, nec etiam Sacerdos baptizans privatim.

Quid de excommunicatis, &c.

Clericus (quod aliqui extendunt ad laicum) serio exercens ordinem sacrum solemner, quem non habet, incurrit irregularitatem: ita Sua. f. 3. n. 11. & d. 42. f. 4. n. 2. Filiuc. t. 20. c. 7. n. 206. Layman c. 3. n. 2. Bonac. p. 6. Tol. l. 1. c. 72. n. 1. Coninck d. 6. & alii. Tunc autem censetur exercere ordinem solemner quando aliquid præstat, quod aut non omnino, aut saltem eo modo præstari nequit ab alio, quàm qui tali ordine est initiatus.

Exercens Ordinem quem non habet.

Quares septimò: Quomodo per hæresim incurratur Irregularitas? Hæretici externi, etiam occulti, sunt irregulares, sicut etiam apostatae, ut adorantes idolum (quamvis Filiuc. t. 20. c. 9. n. 230. putat probabile, cum qui exterius tantum est apostata, non esse irregulari) & horum omnium fautores, nec ab alio absolvi possunt quàm à Summo Pontifice: ita Suarez d. 43. f. 1. Layman l. 1. t. 5. p. 5. c. 4. n. 12. Bonac. d. 7. q. 3. p. 7. Sanchez in decal. l. 2. c. 25. n. 3. Tol. l. 1. c. 64. Filiuc. t. 20. c. 9. n. 227. Coninck d. 18. d. 7. & alii.

VII. *Hæretici, Apostatae, Idololatrae.*

Idem asserit Molina de Schismaticis: communis tamen sententia negat hos esse irregulares. Hæreticorum etiam filii nati post lapsum parentum sunt irregulares; hi enim oriuntur ex stirpe infectâ, quod extenditur ad secundam generationem ex parte patris. Tollitur tamen hæc irregularitas si parentes ante mortem reconcilientur Ecclesiæ: ita Suarez sect. 3. n. 1.

Filii hæreticorum.

Existimo tamen cum Henriq. l. 14. c. 5. n. 4. & Lay. n. 12. hosce liberos non esse irregulares si in partibus hæreticorum nascantur, unde notat Lay. ibidem probabiliter defendi posse consuetudinem Septentrionalium quarundam regionum, ubi Episcopi ordinare solent eos, qui ex hæresi ad Fidem sunt conversi, quod tales ne in civili quidem foro à dignitatibus arceantur.

Nati in partibus hæreticorum.

Addit Avila, Clericum in hæresim lapsum posse post pœnitentiam & abjuratorem susceptionem prius ordines exercere, imò si hæresis erat occulta, posse post absolutionem ab excommunicatione ad posteriores ordines promoveri. Quorum tamen utrumque negat Bonacina n. 6. cum aliis. Religiosus verò professus à religione suâ apostata secundum omnes est irregularis.

Clericus lapsus in hæresim.

Quares octavo: Utrum Irregularitas proveniat ex homicidio voluntario, vel casali? Homicidium voluntarium, si id non fiat ad defensionem

VIII. *Quod homicidium inducat irregularitatem.*

defensionem vitæ, honoris, aut rerum suarum aut proximi, & cum moderamine inculpata tutelæ, inducit irregularitatem: & idem est de mutilatione: ita Suarez d. 44. 45. & 46. Filiu. t. 20. c. 1. n. 27. & c. 2. & 5. Coninck d. 18. d. 9. Tol. l. 1. c. 71. Bonacina d. 7. q. 4. p. 6. & 8. Layman l. 3. t. 3. p. 3. c. 9. & 10. & alii. Quamvis Molina, Coninck n. 75. Filiuc. c. 5. n. 135. & alii nonnulli dicant incurrere irregularitatem occidentem vel mutilantem, etiam in sui defensionem, si causam dederit invasionis, contumelias scilicet alium afficiendo, adulterium cum ipsius uxore committendo, &c. Contrarium tamen cum Suariorum, Lessio, Henriquez, Bonacina, p. 6. n. 3. videtur probabilius.

Quid de mandante. Mandans expressè vel tacitè homicidium injustum, vel mutilationem, si sequatur, fit irregularis, nisi mandatum prius revocaverit, & revocatio innotuerit mandatariorum; tunc enim mandans non influit: ita Suarez d. 44. l. 3. Tol. l. 1. c. 80. Filiuc. t. 20. c. 1. n. 27. Bonacina d. 7. q. 4. p. 8. n. 13. & alii.

Idem est de consulente. Idem est de consulente, si ejus consilium verè in mortem vel mutilationem influxerit: si enim homicida antea animo paratus erat, & consilium nullo modo influat, non fit irregularis: ita Sua. d. 45. l. 3. Filiuc. t. 20. c. 4. n. 102. Coninck d. 18. d. 8. n. 60. Bonacina p. 8. n. 19. & alii. Si verò consilium ita revocavit, ut alter cui consilium dedit, merè ex animi obstinatione homicidium exequatur, puto cum Suarez, Filiucio, Sylvestro, Sayro, & aliis, non esse irregularem.

De homicidio casuali. Quoad secundum, homicidium omnino casuale, seu quod nec in se, nec in causâ est prævisum nec volitum non inducit irregularitatem: ita Sua. d. 45. l. 6. Filiucius c. 3. Bonacina p. 7. & alii communiter. Dans ergo operam rei periculose illicitæ, ex qua frequenter mors aut mutilatio sequi solet, incurrit irregularitatem, si mors aut mutilatio sequatur; nec enim simpliciter censentur hic & nunc casuales, cum debita ad eas evitandas non sit adhibita diligentia.

IX. *De justè homicinim occidentibus.* Quæres nonò: Quomodo Irregularitas proveniat ex defectu lenitatis, & accusando in causâ criminali? Quisquis alium publicâ auctoritate justè occidit aut mutilat, sicut & qui aliquo modo proximè cooperantur, ut judex ferens sententiam, ejusque assessores, item testes, satellites comprehendentes aut torquentes reum ad veritatem eliciendam, milites ad furtum deducentes, notarius scribens vel legens sententiam, & alii sunt totaliter irregulares: ita Suarez d. 47. Fil. tract. 19. cap. 9. num. 231. Bonacina d. 7. q. 4. punct. 1. num. 3. Layman lib. 3. sect. 5. tract. 3. p. 3. cap. 7. Tollet. Coninck disp. 18. dub. 10. & alii.

Consilium dans judici. Idem est de eo, qui consilium dat judici ut reum hic & nunc morte afficiat, si mors sequatur. Non tamen est irregularis vir doctus qui consultus à judice solùm dicit quid leges circa punitionem nocebunt in similibus causis præscribant.

Quid de accelerantibus mortem. Qui etiam mortem accelerant sunt irregulares, hac irregularitate ex defectu lenitatis, ut jubentes reum conscendere scalas, &c. nisi levitas materiæ excuset juxta Avilam & Henriquez, ut si cum ascendere quis jubeat unum gradum. Notat verò Molina, & ex eo Bonacina n. 9. ubi quis aliquid præstitit unde mors est acceleranda, ad vitandam irregularitatem optimum factum esse, ut aliquid aliud præstet, unde mors tantundem retardetur.

Quoad secundum, Clericus vel Laicus accusans alium in causâ criminali incurrit irregularitatem, si inde mors aut mutilatio sequatur: ita Suarez d. 47. l. 2. Bonacina d. 7. q. 4. p. 2. Fil. t. 19. c. 9. n. 246. Coninck d. 18. d. 10. Layman l. 3. l. 5. t. 3. p. 3. c. 7. n. 5. & alii.

Excipitur tamen casus quo quis alterum de crimine accusat, non ad vindictam, sed ad damnum sibi aut suis illatum reparandum, vel impedendum, modò protestationem faciat se nullo modo pœnam mortis aut mutilationis petere: tunc enim licet mors sequatur, non ipsi imputatur, sicut nec imputatur si accusaretur de crimine levi, & postea vel ex malitiâ judicis, vel aliorum accusatione inferatur mors aut mutilatio: Testes etiam in causâ mortis aut mutilationis sunt irregulares, nec eos excusat protestatio, nisi quando jure naturæ tenentur testari.

Advocatus etiam accusatoris est irregularis si mors rei aut mutilatio sequatur. Irregularis etiam est advocatus rei, si illius negligentia reus pereat, non verò si justè defendens reum causa sit ut accusator occidatur, vel mutiletur, sic tamen si hoc ex defensione injustâ sequatur, sicut etiam si petat ut accusator qui compertus est falsò accusasse puniatur pena talionis, seu sanguinis.

Quæres decimò: An, & quomodo contrahatur Irregularitas ex bello? Clerici in extremâ necessitate pugnant in bello justò defensivo, ut ad defendendam rempublicam, aut quid simile, vel de licentiâ Summi Pontificis, non incurrunt irregularitatem, etiam si occidant vel mutilent: ita Suarez d. 47. l. 6. Bonacina d. 7. q. 4. p. 4. n. 11. & 12. Filiucius t. 19. c. 10. n. 266. & 267. Layman l. 3. l. 5. t. 3. p. 3. c. 9. & alii. Quod à fortiori verum est de Laicis.

Possunt etiam Clerici citra irregularitatem interesse bello justò etiam aggressivo seu offensivo, non solùm ut in rebus spiritualibus pugnantibus assistant (quod etiam possunt in bello injusto) sed etiam milites hortando ad strenuè se gerendos, ad vincendum, &c. modò ad aliquem in particulari occidendum non instigent: imò & arma possunt militibus præbere: ita Auctores citati contra Sylvestrum & paucos alios hoc postremum negantes. A fortiori non fit quis irregularis hortando aliquem ad vitam & sanguinem pro Fide vel Ecclesiâ profundendum, imò nec hortando Principem ad bellum justum contra alium suscipiendum.

Tam Clerici quàm Laici in bello sive justo sive injusto occidentes vel mutilantes, sunt irregulares: imò si in bello injusto ullo modo cooperentur, etiam hortando, & animos addendo, quod secus contingit in bello justo, ubi nullus est irregularis, nisi qui directè aliquo modo & immediatè concurrat, ut habetur c. *Petitio tua*. Clericus tamen, ut ibidem habetur, est irregularis, si in bello pugnans dubitet num aliquem occiderit: ita Auctores citati.

Quæres undecimò: An, & quomodo incurratur Irregularitas medendo, aut ex chirargiâ? Clericus, etiam beneficiatus, imò & in majoribus non peccat graviter, nec incurrit irregularitatem, medici aut chirurgi officium exercens citra abscissionem & adustionem, etiam si mors inde sequatur; hoc enim nullibi in jure prohibetur. Clericus verò in minoribus quamvis habeat beneficium non incurrit irregularitatem etiam abscindendo & adurendo: ita Bonacina d. 7. q. 4. p. 5. n. 4. Imò in extremâ necessitate clericus etiam

Reum accusans.

Si quis faciat protestationem

Advocatus tam accusatoris, quàm rei.

X.

De clericis in bello justò pugnantibus.

Quid facerè possint clerici in bello justò offensivo.

Quid si homicinim occidant vel mutilent.

XI.

De clericis in majoribus.

De eo in minoribus.

etiam in majoribus nec peccat, nec irregularitatem incurrit incidendo & adurendo.

De notabili negligentia.

Si tamen ex notabili negligentia clerici, aut etiam laici, mors sequatur, fiunt irregulares. Qui ergo curam infirmorum gerunt non incurunt irregularitatem dum infirmum in lecto revolvunt, ut facilius somnum aut cibum capiat, etiamsi mors inde acceleretur, modò negligentia non sit notabilis, ita ut accedat ad peccatum mortale: ita Suarez d. 47. l. 7. n. 3. Filiucius t. 19. c. 10. n. 277. Bonacina p. 5. n. 2. & p. 7. n. 12.

De laicis medentibus.

Laici verò secundum regulas artis procedentes, etiam sciendo & adurendo non fiunt irregulares, quamvis mors sequatur. Medicus verò præbens medicinam, quam dubitat num boni aliquid ægroti factura sit vel mali, peccat, & fit irregularis, si mors inde sequatur, sive aliam habeat medicinam quam det, sive non, nisi planè desperata jam sit ægroti salus; tunc enim, si alia non suppetat, non peccat dando hanc, nec fit irregularis: & idem est de chirurgo in abscissione & adustione: ita Valentia 2. 2. d. 3. q. 10. p. 2. in hoc eventum intelligi asserens illud Galeni, *interfice audacter*, Sanchez l. 1. moral. c. 9. n. 39. Bonac. p. 5. n. 3. & alii.

XII.

Ablatâ causâ quomodo cesset.

Quæres duodecimo: Quomodo tollatur Irregularitas? Tollitur in primis ablatâ causâ ob quam fuerat inducta, quando pro tali tempore fertur quo manet causa. Sic irregularitas ex defectu ætatis ad suscipiendos vel exercendos ordines susceptos cessat adveniente ætate. Sic etiam irregularitas ex infamia facti cessat per emendationem vitæ: ita Suarez d. 41. l. 1. Bonacina d. 7. q. 5. p. 2. n. 5. & alii.

Delictum ante baptismum.

Secundò Irregularitas ex delicto non afficit hominem jam baptizatum, si delictum ante baptismum commissum fuerit. Irregularitas tamen ex defectu incipit afficere hominem statim post Baptismum, si idem defectus maneat post Baptismi susceptionem: ita Suarez, citatus Coninck d. 18. d. 14. n. 109. Tol. l. 1. c. 89. n. 2. Filiuc. t. 20. c. 10. n. 255. Bonacina n. 1. & alii.

Verum jure tollatur per professionem.

Tertiò per professionem vel emissionem votorum simplicium in religione approbatâ vult Soto tolli omnem irregularitatem ex consuetudine vel privilegio religionum. Sed alii omnes affirmant de tali consuetudine vel privilegio non constare, unde aiunt jure communi per ejusmodi professionem non tolli aliam irregularitatem, quam ex defectu natalium, & hanc ad ordines tantum, non ad prælaturam: unde sine Summi Pontificis licentiâ dicunt illegitimum fieri Abbatem aut Priorem non posse: ita Suarez d. 41. l. 1.

n. 3. Filiucius t. 20. c. 10. n. 258. Coninck n. 110. Tol. l. 1. c. 89. n. 3. Bonacina p. 2. n. 2. & q. 2. Verum per p. 3. n. 14. Layman l. 1. t. 5. p. 5. c. 9. n. 6. & privilegia. alii. Per privilegia tamen mendicantium per hujusmodi professionem tollitur omnis irregularitas præter eam quæ est ex bigamia & homicidio voluntario, & hæc etiam in quibusdam religionibus, quarum privilegia sunt consulenda. Saltem Prælati in quibusdam religionibus magnam ad hoc habent auctoritatem.

Tollitur irregularitas per dispensationem.

Quartò tandem tollitur irregularitas per dispensationem, qua in re Summus Pontifex in omni irregularitate dispensare potest. Utrum autem eo ipso quod legem abroget inducentem irregularitatem, ob defectum natalium exempli gratia, tollatur irregularitas ab illegitimo non solum qui post legis abrogationem nascitur, sed etiam ante, dum adhuc lex esset in vigore, probabilius videtur tolli, nisi verba abrogationis legis ad ipsum abrogationis tempus peculiariter referantur: ita Suarez d. 41. l. 1. n. 7. Filiuc. t. 20. c. 10. n. 263. Bonacina d. 7. q. 5. p. 1. n. 2. & alii.

De auctoritate Episcopii in dispensatione.

Episcopus (in locis ubi receptum est Concilium Tridentinum, non alibi) ex peculiari concessione Trident. ses. 24. c. 6. potest cum suis subditis, etiam extra diocesim existentibus dispensare in omni irregularitate ex delicto occulto, seu non notorio, præterquam ex homicidio voluntario, & delicto ad forum contentiosum deducto, nisi reus ibi absolvatur, aut non remaneat infamia ex semiplenâ probatione: ita Auctores citati; Sanchez tamen l. 8. de Matrim. d. 34. n. 57. ait crimen illud, si desinat amplius manere in foro contentioso reddi occultum sicut prius, & posse in eâ irregularitate Episcopum dispensare. Idem privilegium habere Cardinalem in Ecclesiâ sui tituli, & Capitulum sede vacante affirmat Sanchez, Henriquez, & alii, negat Suarez, Filiucius, Bonacina, Toletus, cum aliis.

De irregularitatis ex defectu.

Aliud est de irregularitatibus ex defectu, unde in irregularitate ex defectu Sacramenti, seu bigamia verâ vel interpretativâ dispensare nequit Episcopus, sed solum ex similitudinariâ cum Virgine: ita Suarez d. 49. l. 6. Bonacina q. 2. p. 5. n. 15. In eâ verò quæ provenit ex defectu natalium dispensare nequit Episcopus nisi ad minores; nec enim est irregularitas proveniens ex delicto occulto proprio, sed alieno, & censetur ex defectu, sicut carentia manus ab alio abscissæ: ita Bonacina puncto quarto.

